

Cartulaire manceau de Marmoutier, Tome Second, Sablé, Nr. 19

Mortuo Roberto Burgundione, domino Sablolii castri, Lisiardus, filius ejus, calumniatus est monachis quicquid avus ejus, dictus et ipse Robertus, donaverat, et prenominatus pater ejusdem Lisiardi concesserat. Jus tandem monachorum recognovit et omnia concessit liberrima prorsus ab omni vicaria et consuetudine sive exactione. Istud tamen sibi voluit retinere ut latro extraneus in burgo monachorum deprehensus reddatur domino Sablolii, qui justitiabit eum pro voluntate sua. Et dederunt ei monachi XV libras cenomanensium denariorum et alios LX solidos propter unum equum quem ab eis requisivit. Actum anno M.C.X. Concesserunt Lisiardi frater Guido, Hainricus, avunculus, Hersendis, mater, et Godehildis, soror. Viderunt Willelmus, abbas Majoris monasterii, Guillemus, prior, Radulfus, prior Sancti Nicolai.